

II. Cohortatio (1) requirit Actum *psal-*  
*lendi* crebrum atque *attentum*: vers. 7. (2)  
objectum: *Deo regi nostro*, *ibid.* (3) rationes  
denuò sunt, (a) *Deus est rex totius terræ*:  
vers. 8. *super gentes* quaslibet, vers. 9. (b)  
*occupavit solium suum sanctum*: *ibid.* (c) *ma-*

*gnates populorum ad Deum Abrahamitarum*  
*sunt associati*: vers. 10. (d) *Dei sunt* vel ejus  
dominio subjiciuntur *clypei* seu protectores  
*terræ*: (e) *super eosdem exaltatus est insigne-*  
*ter*: *ibid.*

## PSALMUS XLVII.

### EXPLICATIO VERSUS I.

ר בני קרח *Filiis Korachi*: vide *Psal. XLII*, 1.

### EXPLICATIO VERSUS II.

הקערו כף *complodite manus*: i. e. manifesta  
gaudii plenissimi date signa. *הקערו* *insigere* aliquid  
vel immittere rei alteri, v. g. clavum in parie-  
tem, *Jes. XXII*, 23. in caput, *Jud. IV*, 21. lanceam  
in cor Abfalomi, 2. *Sam. XVIII*, 14. labra in  
buccinam, eademque clangere 1. *Sam. XIII*, 3.  
*Psal. LXXXIII*, 4. Sic de immisione vel complo-  
sione manûs sponsoris cum manu ejus, cui spon-  
des, *Prov. VI*, 1. *XVII*, 18. *XXII*, 26. *Job. XVII*, 3.  
item de complosione manuum propriarum, ad  
edendum lætitiæ causâ sonum, ut *Nab. III*, 19. au-  
dituri famam casûs tui plaudent super te mani-  
bus (Lutherus: mit den Hånden flappen.) i. e.  
juxta *Riberam*: præ magnitudine gaudii insuitan-  
ter tibi applaudent manibus; & quòdam gaudii  
strepitu concrepabunt: & postea: his verbis si-  
gnificatur magnum gaudium, quò affici solent,  
qui simul nuntium gratissimum audiunt, &  
præ lætitiâ dexterâ jungunt & comprimunt.  
Sic apud Latinos quoque verbum *Plaudo*, ex-  
ponente *Perotto*, est manibus pulsare & strepi-  
tum facere, quod vel lætitiæ vel derisionis cau-  
sâ fieri solet. Inde etiam, respectu habitò ad  
sensum, Lutherus reddit verbum *הקערו* *proloquet*  
(mit Hånden.)

הריעו *jubilate*: elatâ voce instar triumphan-  
tium; vide plura de hoc verbò *Psal. XLI*, 12.

להים *Deo vel in honorem Dei*: ut qui  
tantam tripudii suppeditat materiam. Adeoque  
*Psaltes* ad gaudia excitat universas gentes, non  
carnali modò, aut ob seculi hujus vanitates  
concupiendâ, sed in Deò, ob Deum, & ad Deum  
unicè directâ, tanquam Conditorem, Conser-  
vatore, Reparatore ac Sospitatore universæ  
carnis, &c. Ad Messiam pertinere hunc psalmum,  
non diffitetur *Aben Esra*.

ב קול רנה *voce jubili*: i. e. voce exultabun-  
dâ & jubilante, ubi & verba, & verborum enun-  
ciatio, gaudio sunt plena. vide hanc ipsam  
phrasin *Psal. XLII*, 5. ubi simul adde, præfixum  
(ג) enunciare hic ablativum instrumenti, quod  
Ebræi dicunt *ב הקערו*; exempla vide *Psal. II*, 9.  
*IX*, 2. *XVII*, 1.

### EXPLICATIO VERSUS III.

עליו *excelsus*: est hoc unum è Dei nomi-  
nibus, prout numerantur ab *Hieronymo* aliisque,  
quamvis h. l. propriè sit prædicatum pertinens  
ad descriptionem subjecti, ita ut de Jehovah e-  
nunciatur, esse tum *excelsum*, tum *terribilem*. Ita  
namque vi accentuum coherent duo hæc po-  
steriora, testibus grammaticis. Descendit verò  
ab *על* *ascendit*, *emmit* supra alios: adeoque  
metaphora involvitur, petita à foliis regum emi-

nentibus (1. *Reg. X*, 19. *Cob. X*, 7.) vel aliis rebus  
celsis, v. g. arboribus, montibus, palatiis, &c.  
quæ altitudine suâ sunt inaccessa atque ardua,  
aut quæ suprâ communem rerum aliarum emi-  
nent fortem: ac proinde innuitur singularis &  
plane incomparabilis Dei majestas ratione es-  
sentia, potentia, beatitudinis, &c. Expri-  
mitur à *Luca* per *ὕψιστος*, cap. I, 32. Synonymum  
illi *רם* sublimis, *Jes. LVII*, 15. &c. vide *Gomar.*  
*disp. select. 6. th. 70.*

נורא *terribilis*: vel omni veneratione ac sub-  
missionis cultu dignissimus. Est namque hæc  
vox propriè participium niphali verbi *נורא* *timuit*,  
quod tamen naturam hic induit adjectivi desi-  
nentis in *bilis*, *venerabilis*, *timore dignus*: (plura  
exempla vide *Psal. XIX*, 11. & *XL*, 6.) tribui-  
turque hoc epitheton monti vel loco apparitionis  
divinæ, *Genes. XXVIII*, 17. angelo, *Jud. XIII*, 6.  
populo terribili, *Jesa. XVIII*, 2. 7. diei judicii, *Joel*  
*II*, 11. deserto, *Deuter. VIII*, 15. terræ, *Jes. XXI*, 1. læ-  
pissimè verò ipsi Deo ejusque nomini, ceu *Exod.*  
*XV*, 11. *XXXIV*, 10. *Psal. LXVIII*, 36. *LXXVI*, 8.  
*XCVI*, 4. *Zeph. II*, 11. *Malach. I*, 14. *Deut. VII*, 21.  
*1. Par. XVI*, 25. &c.

מלך *rex magnus*: h. e. Jehova, præterquam  
quod *Excelsus* est ac *Terribilis*, simul quoque supre-  
mus atque unicus est omnium creaturarum Do-  
minus & Monarcha, cui, imperanti omnibus, im-  
perat nemo. Aliàs nomen hoc descendit à *מלך*  
*imperavit*, quod apud Syros est *consilium dare*, quia  
regis consilio cuncta debent geri &c. Idemque  
hoc nomen cum epitheto *Magnus* tribuitur Mo-  
narchis, v. g. *Babyloniõrum*, *Dan. II*, 37. *Persa-*  
*rum*, *Edr. VII*, 10. verum abusive; cum multæ  
adhuc restiterint nationes à talibus monarchis  
subjugandæ: absolute autem atque propriè tri-  
buitur hic titulus Deo Monarchæ immortalis, in-  
dependenti, unico, qui cuncta, tum animata, tum  
inanimata, tam visibilia, quàm invisibilia, gu-  
bernat potentissimè, justissimè, benignissimè, li-  
berissimè.

על כל הארץ *super universam terram*: i. e. su-  
per omnes ejus regiones five climata: *על* enim  
supponit pro orbe habitabili vel cunctis ejusdem  
incolis ac nationibus.

### EXPLICATIO VERSUS IV.

יבשר *subjecit*: Lutherus: er wird *Völcker*  
unter uns zwingen: prius: er wird die *Völcker* un-  
ter uns schlagen. *Campensis*: sola prædicatione  
*evangelii* subjecit populos nobis. *LXX. ὑπέταξεν*. Vul-  
gatus: *subjecit*; ita quoque *Syrus*, *Arabs*, *Ethiopi-*  
*cus*. Aliter *Chaldæus*: *יבשר* *interficet* populos  
*לפנינו* *internatione loco nostri*. Verbum *יבשר*  
locutus est præter communem hunc significatum  
habet etiam alium, videlicet *יבשר* *percussio* (uti  
*R. Nathan* observat in *Concord.*) nimirum bis in  
*Piel* *Psal. II*, 5. perdet eos in irâ suâ; & 2. *Paral.*  
*XXII*, 10. & *Athalia* *יבשר* *percussit* omne semen  
regium: